

cupiditate flagravi. Quare statim authorum opinionibus, uti fieri solet, ac presertim principum philosophicæ medicæque reipublicæ sententiis expendendis animum adieci. Ac primo quidem illas inter se collatas in mentis lance, positis utrinque rationum momentis, sine fraude ponderavi (quoad licuit mihi per meam imbecillitatem; siquidem ἡ τῶν λόγων κρίσις πολλῆς ἐστὶ πείρασ τελευταῖον ἐπιγέννημα¹, *rationum examen longæ est experientiæ ultimus fructus*). Tum veram, prout videbatur, amplexus, ubi ad pulmonum fabricam ac motum retuleram, velut aptatam potius illis quam quadrantem, mens φιλαληθῆς, *veritatis amans*, repudiavit, alium quempiam usum illa structura digniorem iam inde suspicata.

Quamvis enim antiquitatis e longinquo venerabilis nimia sit auctoritas, adeo tamen animi libertate delector ut nullius, etsi in multos dominetur, velim iuratum esse mancipem. Nec enim illud mihi triticum est quod tritum, sed quod verum aut verosimilius; neque verum illud tantum quod prius dictum. Quæ tamen dextra manu porrecta absit ut aliquis vitio mortalitatis in peius bona etiam detorquentis sinistra accipiat, meque putet, cum nondum Apollinem in ipso sacrario consalutaverim aut Palladem citra nebulam viderim, sapientium virorum statuta permutandi cupiditate teneri. Etenim eodem odio prosequor novatores, quorum pravo palato nil sapit quod antiquitatem redoleat; et mancipia vetustatis, quæ cum antiquis errare malunt quam recte sentire cum recentioribus. Etiam si errare humanum sit, aliorum autem errores, quos ipsi castigarent, si reviviscerent, tueri infra hominem habeatur². Illud vero mihi consilium fuit ut, quod serio pulmonum constitutionem evolventi occurrit, non tam in lucem proferam quam acerrimo doctorum iudicio submittam, quo me ab erroris tenebris in veritatis vindicent splendorem. Χαλεπὸν γὰρ ἄνθρωπον ὄντα μὴ διαμαρτάνειν ἐν πολλοῖς, τὰ μὲν ὅλως ἀγνοήσοντα, τὰ δὲ κακῶς κρί-

1. Dionys. Long., *De exc. dic. gen.*

2. Scaliger, *Ezer. 300 et de ca. ling. lat. c. 67.*

